

1745.

1. Boetianus, Jo. Samuel Fredericus: De computatione prelii
in evictionis praestatione.
2. Lassack, Joannes Tobias: De differentiis iuris Roman
et Germanici in principio iuris primis foliorum familiarum.
3. Herzberg, Erhard Titus. de: De unionibus et comitiss.
4. Foachim, Joahm Friedrich: Historische und rechtliche Abhandlung
von den ersten Reichs-Tage, welches ein Preußischer Kaiser
nach der Vorschrift des Güldenen Salts, Cap. 2856. zu 1.
Reichsstadt Nürnberg halten sollt. [Entwörfen und in Jahrzg.
1744 gebauct!]
5. Funckius, Joannes: De motu post partum.
6. Funckius, Joannes: De nitrosum moto agenti, usu
et abusu.
7. Funckius, Joannes: Par auro non missi s. Xanthis 2.
8. Funckius, Joannes: De aerephobis. Von Lufft schauenden
Personen.

9. Knorrius, Carolus Gallus: De differentiis juris Marchici et Magdeburgici in successione coniugiorum

10^a = Nettelsbach, Daniel: De genitima sponsalium De processu et de futuro notione. 3 Precept. 1743, 1760, 1782.

1746.

1. Bochmerus, Iacobus Henricus: ... Ultrae Vectores vi Arcti - officiorum imperatorum eligant?

2. Bochmerus, Iacobus Henricus: Ne jure princeps fori locatoris in conductorem

3. Buchnerus, Petrus Elias: Dissertatio in ergo medico legale: quoniam querit: en sententia remedium abortum simpliciter provocatio in partem regularem resolutus.

4. Brichnerus, Andreas Elias: De causa alii solutione in mortis

5. Carrach, Joannes Tobias: De differentiis juris Romanis et Germanicis in hereditate institutione voluntaria

chic 6. Hompelt, Petrus: De libertate orientalis Frisiae, coram
reservatis superiori Romano. Germanici reginae,
6^a Tuncerus Joh.: Non sibi homicida quae abortum procuret...
7. Tuncerus, Joannes: De odontalgia.

23
42

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
GENVINA
SPONSALIVM DE PRAESENTI
ET
DE FVTVRO NOTIONE

QVAM
P R A E S I D E
D. DANIELE NETTELBLADT

AD DIEM III. APRIL. M DCCXLV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T E T

RVDOLPHVS IOANN. WILHELMVS THYM
L. L. CVLT.



HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.
RECUSA MDCLX.

(4)



§ I.

1222
In ineunda societate conjugali duplex concipi potest consensus, quorum altero declaramus, nos societatem conjugalem inire velle; altero vero, nos societatem conjugalem, quam inire velle declaravimus, jam actu inchoare velle. Quoniam qui societatem conjugalem ineunt, tantum declarant, quod velint vires ad sobolis procreationem obtinendam conjungere: qui vero societatem conjugalem inchoant, actu id praestare incipiunt, quod praestandum est, ut finis, qui intenditur, obtineri possit; non vanum idemque est, inire societatem conjugalem, & initam inchoare. Potest itaque duplex consensus, quorum altero declaramus, nos societatem conjugalem inire, altero vero, nos illam inchoare velle, in ineunda societate conjugali concipi.

§. II.

Consensus sponsalitius dicitur, quo mas & femina declarant, se velle inire matrimonium; *Consensus matrimonialis*

4 *Dissertatio Iuridica de genuina sponsalium*

*lis vero, quo declarant, se jam actu matrimonium inchoare
velle.*

§. III.

*Consensus sponsalitius involvit promissionem in futurum
& in praesens conceptum. Per consensum sponsalitium mas
& femina declarant, se velle inire matrimonium (§. 2.).
Quamvis itaque id, quod promittitur, in futurum promittatur,
ipsa promissio tamen in praesens concepta, sive con-
sensus sponsalitius involvit promissionem in futurum & in
praesens conceptram.*

§. IV.

*Consensus matrimonialis non nisi promissionem in praesens
conceptum involvit. Per consensum matrimoniale mas &
femina declarant, se jam actu matrimonium inchoare velle
(§. 2.). Cum itaque talis promissio nihil contineat, quod
respicit futurum aliquod, sed potius tam ipsa promissio,
quam id quod promittitur, in praesens concipiatur; con-
sensus matrimonialis non nisi promissionem in praesens conce-
ptam involvit.*

§. V.

*Verbis presentis temporis tam consensus sponsalitius,
quam matrimonialis declarari potest; verbis futuri temporis
vero solus consensus sponsalitius. Cum tam consensus sponsa-
litius, quam matrimonialis, promissionem in praesens conce-
ptam continet (§. 3.4.), promissiones in praesens conceptae
vero, verbis presentis temporis exprimantur: tam con-
sensus sponsalitius, quam matrimonialis verbis presentis tem-
poris declarari potest. Quod erat unum.*

At enim vero consensus matrimonialis non nisi promis-
sionem in praesens conceptam involvit (§. 4.). Consensus
sponsalitius vero involvit promissionem in futurum conce-
ptam

ceptam (§ 3). Cum itaque non nisi in consensu verbis futuri temporis declarari possit, qui promissioem in futurum conceptam continet, solus consensus sponsalitius verbis futuri temporis declarari potest. *Quod erat alterum.*

§. VI.

Quoties verba praesentis temporis adhibentur, & illa in praesens matrimonium diriguntur; toties non consensus sponsalitius sed matrimonialis declaratur. Quamvis verba praesentis temporis per se nondum efficiant, consensum matrimoniale declaratum esse (§ 5), tamen si in praesens matrimonium diriguntur, qui nisi videntur, se jam actu matrimonium inchoare velle declarant. Hæc declaratio vero cum involvatur consensum matrimoniale (§. 2): *quoties verba praesentis temporis adhibentur, & illa in praesens matrimonium diriguntur; toties non consensus sponsalitius, sed matrimonialis declaratur.*

§. VII.

Matrimonium dicitur initiatum, quando consensus sponsalitius declaratus; ratum, quando consensus matrimonialis declaratus; consummatum, quando omnia ea peracta quæ requiruntur, ut finis matrimonii obtineri possit. ESPEN. *Jur. Eccles.* T. 12. c. 1. n. 3.

§. VIII.

Declarato consensu sponsalitio ad matrimonium consummandum sequentes adhuc requiruntur actus: a) declaratio consensus matrimonialis, b) copula carnalis, c) publica proclamatio ex suggestu facti & d) copulatio sacerdotalis. Et enim finis matrimonii prius obtineri nequit, quam personæ, quæ matrimonium intre volunt, declaraverint, se jam actu matrimonium inchoare velle, quod per se patet. Iam vero in declaratione hujus consentius consistit consensus matrimonia-

monialis (§. 2.) & matrimonium prius consummatum dici nequit, quam omnia ea peracta, quae requiruntur, ut finis matrimonii obtineri possit (§. 7); ad matrimonium declarato consensu sponsalitio consummandum requiritur itaque declaratio consensus matrimonialis. *Quod erat primum.*

Sic etiam porro, cum finis matrimonii sit sibi solis procreatio, sibi solis vero sine copula carnali procreari nequeat, & ea, quae ad finem matrimonii obtinendum necessaria prius debeant esse impleta, quam matrimonium consummatum dici possit (§ 7); ad matrimonium consummandum requiritur copula carnalis. *Quod erat secundum.*

Quod vero proclamationem & copulationem sacerdotalem attinet, leges jubere illos, qui matrimonium inire volunt, publice esse proclamandos & a sacerdote copulandos, hosque actus praecedere debere copulam carnalem, nulla indiget probatione. Est vero copula carnalis actus ad matrimonium consummandum necessarius (*per dem. n. 2.*); ad matrimonium consummandum itaque etiam publica proclamatio & copulatio sacerdotalis requiruntur. *Quod erat tertium & quartum.*

Duos priores actus, uti ex data demonstratione satis patet, ipsum jus naturæ requirit; duos posteriores vero jus positivum juri naturali aliquid addendo, introduxit. Loquor vero hic de jure positivo communi in Imperio nostro: Sic enim constat in nonnullis Belgii provinciis non requiri hierologiam, sed sufficere nudam confirmationem in curia; & in Frisia heterodoxis loco benedictionis sacerdotalis injungitur confirmatio judicialiter facta, adserente Hüber o *Præl. ad T. ff. de R. N. §. 12.* Nimirum benedictio sacerdotalis per se ad matrimonium non requiritur, cum ex ipsa hujus societatis natura demonstrari minime possit, subsistere illam haud posse, nisi acceperit sacerdotalis illa copulatio. *Est itaque potius ceremonia quædam,*

dam, quæ adesse & abesse potest, necessario tamen adesse debet, si leges positivæ illam requirunt; indeque non absolute, sed sub hac hypothesi, ad essentiam matrimonii pertinet. Hinc etiam demonstrari nequit, copulam sacerdotalem esse actum ad matrimonium ineundum necessarium. Ratio vero omnino reddi potest & debet, cur Legislator hanc potius, quam aliam ceremoniam elegerit. Si enim Legislatori placuerit, loco hujus ceremonia aliam quoque eligere potuisset, cum finis hujus ceremonia sit, ut conjuges ab iis discerni queant, qui ex vaga libidine concubunt, & legitima conjunctio probari possit. Hunc finem vero etiam alius modis obtineri posse, quis non vider? Reddi vero ratio potest ex principiis, qua continent elegans illa theoria de ceremoniis, quam PHILOSOPHVS Phil. Praet. Univ. P. 2. §. 442. seqq. cum orbe literato communicavit. Idem quod hic de benedictione sacerdotali dictum, etiam de proclamatione valere, quilibet statim videt. Quod præterea copulam carnalem attiner, quam secundum Jus Naturæ ad matrimonium consummandum necessariam esse vidimus, questio hic oritur: An etiam secundum jus positivum in Imperio nostro ipsa corporalis conjunctio necessaria? Distinguendum hic inter jus commune & jura particularia. Ius commune cum jure naturali hic conspirare certum est, id quod tamdiu defendendo, donec producantur textus, ex quibus probari possit, jura positiva a jure naturali discedere. Illud juris Romani: *Non contus, sed consensu facit nuptias*, huc trahi haud posse, jamdudum ali docuerunt, qui non verba legum, sed vim & potestatem earum respiciunt. Quod vero jura particularia attiner, sunt que cum jure naturali convenient, sunt etiam quæ ab illo deflectunt: Sic enim ipsam corporalem conjunctionem requirit Ref. Francof. P. 2. T. 3. §. 5. ubi dicitur, *dass beyde Ehe gemahlt öffentlich zu Kirchen gangen NB. ebelich bey gelegen &c.* Similiter etiam *Jure Würtembergico* successio demum trahitur nach dem Bettprung prout verba Jur. Prov. P. IV. T. II. & IV. se habent. Jus Lubecense & contra non præcise requirit ipsam copulam carnalem, sed nuda thori conscientio sufficit; id quod,

contra

contra MEVIVM, qui nequidem concessionem thori secundum jus Lubecensem necessariam esse putat sed solam benedictionem sacerdotalem sufficere credit, solidis argumentis evicit, **DN PRÆSIDIS Perill.** Adgnatus CHRISTIANVS de NETTELBLADT in *Dissert. de portione statutaria Jur. Lubecensis C. IV.* § XXIV. Similiter etiam secundum *Jus Saxonicum Elect. thalamum consensum esse sufficit, prout latius probavit RIVINVS in Dissert. de concessione thori ad obtinendam successionem conjugum Jur. Saxon. Elect. necessaria §. XVII.* Nec sine ratione sufficiunt jura provincialia Lub. & Saxon. juri naturali aliquid detrahunt. Constat enim ex theoria naturali LL positivarum, illas ita condendas esse, ut facile possint applicari (§ 425. Pol.) Facilius vero est applicatio, si matrimonium jam pro consummato haberetur, modo thalamus sit consensus, nec præcise requiritur, ut ipsa copula carnalis insuper accedit. Prius enim facilius probari potest, quam posterius; nec decet, ut ait SCHÖPFERVS in *Diss. de matrimonio per substitutum controlo C. 3. n. 8.* adeo curiose inquirere, an ad rem & ultimam veneris limam pervenerint. Adebat præterea præsumtio fortissima thalamo consenso subsequoram esse copulam carnalem. Solus cum sola enim non præsumitur orare patet noster.

§. IX.

Declarato consensu sponsalitio non statim etiam declaratus est consensus matrimonialis; declarato vero consensu matrimoniali simul declaratus est consensus sponsalitus. Per consensum sponsalitium declaramus, nos velle inire matrimonium (§. 2.), per consensum matrimonialem vero nos jam actu matrimonium inchoare veile (§. 2.). **E**nimvero, cum consensus, quo declaramus, nos velle inire matrimonium, differat ab eo, quo declaramus, nos matrimonium jam actu inchoare velle (§. 1.), per se possibile est, consensum priorem absque posteriori declarari, & nemo dubitabit, ex eo, quod decla-

declaratus sit consensus, nos velle inire matrimonium, minime sequi, nos iam actu matrimonium inchoare velle; declarato itaque consensu sponsalitio, non statim etiam declaratus est consentus matrimonialis. *Quod erat unum.*

At enimvero per consentium matrimonialeum unum actum ad matrimonium consummandum necessarium consummamus (§ 8): cumque per consensum matrimonialeum declaramus, nos iam actu matrimonium inchoare velle (§ 2), matrimonium vero actu inchoari, nisi etiam reliqui actus ad matrimonium consummandum necessarii consummari, nequeat, dum declaramus consensum matrimonialeum quoad unum actum matrimonium consummamus, simulque declaramus, nos etiam reliquos actus ad matrimonium consummandum necessarios consummare velle. Qui vero declarant, se actus ad matrimonium consummandum necessarios adhuc consummare veile, nondum matrimonium inierunt, sed potius se adhuc matrimonium inire velle declarant, & in declaratione huius consensus consistit consensus sponsalitius (§ 2); declarato itaque consensu matrimoniali simul declaratus est consensus sponsalitius. *Quod erat alterum.*

§. X.

Si personæ, quæ declararunt consensum sponsalitium, concubitum anticipant, ipso hoc facto declarasse consensum matrimoniolum, probabile est. Etenim dum concubitum anticipant, consummant actum ad matrimonium consummandum necessarium (§ 8). Si vero personæ quæ declararunt consensus in sponsalitium, postea actum quandam ad matrimonium consummandum necessarium consummant, matrimonium iam actu inchoare velle, probabile est, & talis consensus, quo declaramus, nos matrimonium iam actu inchoare velle, dicitur matrimonialis (§. 2). Si itaque personæ, quæ decla-

B

decla-

10. *Dissertatio Iuridica de genuina sponsalium*

declararunt consensum sponsalitium, concubitum anticipant, ipso hoc facto declarasse consensum matrimoniale, probabile est.

Copula carnalis vel tanquam actus ad matrimonium consummandum necessarius, vel tanquam solius libidinis explentæ causa suscepimus considerari potest. Unde etiam in genere a concubitu ad consensum sponsalitium ne quidem probabiliter concludi potest; multo minus ad consensum matrimoniale. Sub hac hypothesi vero, quod personæ, quæ concubitum celebrarunt, jam ante declaraverint consensum sponsalitium, & postea accesserit concubitus, qui in specie dicitur anticipatus, omnino probabile est, per concubitum declarasse consensum matrimoniale; prout ex principiis doctrinae de probabilitate facile demonstrari posset, si studium brevitatis permitteret in has ambages descendere.

§. XI.

Sæ personæ, quæ declararunt consensum sponsalitium, concubitum anticipant, hoc facto declarasse consensum matrimoniale, præsumendum est, & bac præsumtio est præsumtio juris & de jure; Ait Pontifex c. 30. X. de sponsal. , Is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, copula carnali subsequita, et si in facie ecclesiae ducat aliam, & cognoscatur, ad primam redire tenetur; quia licet præsumptum priimum matrimonium videatur contra præsumptionem ramon, „hujusmodi non est probatio admittenda. „ Loquitur hic Pontifex de muliere, cui quis fidem dedit de matrimonio contrahendo, istiusmodi fides vero involvit consensum sponsalitium (§. 2.) ; Pontifex itaque hic loquitur de istiusmodi personis, quæ declararunt consensum sponsalitium. Cumque addat, copulam carnalem esse subsequitam, & contextus neminem dubitare sinat per copulam carnalem, vel quod idem est, concubitum hic intelligi concubitum anticipatum;

Ponti-

Pontifex de istiusmodi personis loquitur, quæ declararunt consensum sponsalitium & concubitum anticiparunt. Unde pater, hypothesi hujus legis cum hypothesi propositionis convenire. Iam vero Papa istiusmodi declarationem consensus sponsalitii, cui accessit concubitus anticipatus, matrimonium præsumtum esse, ait: quorum verborum sensus, si rite evolvitur, nullus alius esse potest, quam hic, quod præsumendum sit, personas, quæ declararunt consensum sponsalitium, & anticiparunt concubitum, declarasse consensum matrimoniale ipso hoc facto. Hoc enim probabile (§. 15.) probabilia vero præsumuntur, ut ex ipsa præsumptionis definitione patet. Secundum hanc præsumptionem vero Pontifex causam propositam dirimit, illamque talem esse adit, quæ non admittit probationem in contrarium, qualis præsumptio dicitur juris & de jure. Pater itaque præsumptionem, personas, quæ declararunt consensum sponsalitium & concubitum anticiparunt, hoc ipso facto declarasse consensum matrimoniale, esse præsumptionem juris & de jure. Sic itaque tandem ex his rivulis pleno, ut aiunt, amne fluit conclusio: si personæ, quæ declararunt consensum sponsalitium, concubitum anticiparunt, ipso hoc facto declarasse consensum matrimoniale præsumendum est, & hæc præsumptio est præsumptio juris & de jure.

§. XII.

Sponsalia sunt pactum, quod declarando consensum sponsalitium initur.

Optime conspirat cum hac nostra illa Florentini definitio; qui L. i. ff. de spons. *Sponsalia sunt, inquit, mentio & re promissio futurarum nuptiarum.* Modo notes velim, hanc realem, nostram vero nominalem esse.

B. 2

§. XIII.

§. XIII.

Sponsalia de futuro dicuntur, quæ ita ineuntur, ut solus consensus sponsalitius declaretur.

§. XIV.

Sponsalia de præsenti dicuntur, quæ ita ineuntur, ut declaretur consensus matrimonialis.

Nolo aliorum definitiones sponsaliorum de præsenti & de futuro hic adducere, illasque examinare; adduxisse enim & examinasse, quid juvabit? Nolo anxie circumspicere, anne inveneri possem mecum consentientem; sufficit enim, datas definitiones menti Canonistarum esse conformes. Nolo etiam inquirere in occasionem, auctorem, & fata huius distinctionis, & an illa, vt probare voluit *GVNDLINGIVS in Gundlingianis P. X. n. 2.* Romanis iam fuerit cognita, an vero non; hic enim iam dudum alii otium mihi fecerunt, inter quos unicum *Perill. BOEHMERVM*, qui in *J. E. P. L. IV. T. I. §. II. XVI. seqq.* de his latius egir, nominasse sufficiat. Hoc tamen, quin moneam, non possum non, magisterialem hanc esse divisionem, nec illum existare textum, qui illam quoad ipsa verba adhiberet, quoad sensum vero ubique obviam esse, prout iam annotavit *V. C. PERTSCHIVS Elem. Jur. Can. Et Prot. Eccles. L. II. T. XIII. §. DCCXIII. n. **.

§. XV.

Cum declarato consensu matrimoniali simul declaratus sit consensus sponsalitius (§. 9), in sponsalibus de præsenti vero declaretur consensus matrimonialis (§ 14); in sponsalibus de præsenti praeter consensum matrimoniale etiam declaratus est consensus sponsalitius.

§. XVI.

Cumque in sponsalibus de futuro solus consensus sponsalitius declaretur (§. 13), quo declarato nondum statim declaratus est consensus matrimonialis (§. 9.), uterque consensus

sus

sua vero in sponsalibus de præsenti declaratus (§ 15); in eo differunt sponsalia de præsenti, & sponsalia de futuro, quod in sponsalibus de præsenti, consensus sponsalitius tam, quam consensus matrimonialis; in sponsalibus de futuro vero solus consensus sponsalitius declaratus.

§. XVII.

Nec minus sponsalia de præsenti, cum illis initis actus quidam, ad matrimonium declarato consensu sponsalitio consummandum necessarius, jam consummatus (§. 14. 8.), nullus vero initis sponsalibus de futuro (§. 13. 8.), in eo differunt a sponsalibus de futuro, quod in sponsalibus de præsenti iam unus actus, ad matrimonium declarato consensu sponsalitio consummandum necessarius, impletus; in sponsalibus de futuro vero nullus.

§. XVIII.

Tractatus sponsalitii sunt declarationes eorum, qui sponsalia inire volunt, eo fine factæ, ut in eo, quod sponsalia inire velint, convenient.

§. XIX.

Sponsalia de futuro differunt a tractatibus sponsalitiis; & sponsalia de præsenti ab ipso matrimonio. In sponsalibus de futuro declaratus consensus sponsalitius (§. 3), hincque iam adest mutuus consensus, & per consequens ipsum pactum. Is mutuus consensus vero, & per consequens ipsum pactum per tractatus sponsalitios tantum intenditur, nec quādiu in tractatibus subsistunt, qui sponsalia inire volunt, ipsum pactum adeat (§. 18.) Paret itaque sponsalia de futuro a tractatibus sponsalitiis differre. Quod erat unum.

In sponsalibus de præsenti unus actus, ad matrimonium declarato consensu sponsalitio consummandum necessarius,

B 3

quidem

quidem jam impletus (§ 17), sed tamen adhuc plures super-
funt, qui etiam consummandi, priusquam ipsum matrimo-
nium adesse dici possit (§. 8). Sponsalia de praesenti itaque
ab ipso matrimonio differunt. *Quod erat alterum.*

Ipsas differentias inter sponsalia de praesenti & ipsum matri-
monium latius exposuit FRIESIUS in *Dissert. de vera sponsalium*
de praesenti & nuptiarum differentia.

§. XX.

Interim tamen, cum declarato consensu matrimoniali
iam adsit matrimonium ratum (§. 7.), neutiquam vero con-
summatum (§. 7.), ut loquuntur Canonistæ, hic consensus ve-
ro initis sponsalibus de praesenti declaratus (§. 14.); sponsalia
de praesenti quidem matrimonium sunt, sed ratum tantum, neu-
tiquam consummatum.

Inde facile dari potest ratio, cur in jure Canonico hæc spon-
salia nonnunquam matrimonium appellantur, veluti c. 14. X.
de Convers. conjug. c. 31. X. de spons.

§. XXI.

*Pactum futurorum sponsaliorum, sive, pactum sponsaliti-
um* dicitur, quod declarando consensum de declarando con-
sensu sponsalitio initum: vel quod idem est, quod continet
promissionem de ineundis sponsalibus.

Meam hic facio pacti sponsalitii notionem, quam suam fe-
cit WERNHERVS in *Dissert. de obligatione ex pactis futurorum*
sponsaliorum vulgo *Fa-Wort* §. 2. In omnia alia vero abit THO-
MASIUS in *Diff. de pactis futurorum sponsaliorum* qui §. VII.
est igitur, inquit, *pactum de sponsalibus* convenio mutua futu-
ri sponsi & sponsæ, qua precedente communiter sollicitatione
ex parte sponsi, vel per se vel per alios, parentes sponsæ, & ipsa
etiam sponsa annuntiant eius desiderio, & annulos, aut alias ar-
rhas mutuo sibi tradunt, ea intentione, ut uiraque pars con-
trahen-

trabentium subsequita honesta conversatione de alterius moribus certior fiat, vel etiam ut tractent de pactis dotalibus, quae regulariter sponsalia antecedere debent, & tum si confiterit de morum ad societatem indissolubilem necessaria convenientia, vel etiam, si de pactis dotalibus convenerint partes, ut sponsalibus rite celebratis sibi invicem fidem conjugalem suo tempore benedictione sacerdotali & concubitu carnali consummandam, solemniter promittant. THOMASIVS enim, ut ex hac ad naufragium usque verbosa definitione patet, pactum futurorum sponsaliorum appellat tale pactum, quo se desponsaturi promittunt, quod tractatus sponsalitios suscipere velint. Hinc etiam non poruit non, quin huic pacto omnem ad matrimonium ineundum obligationem deneget: WERNHERVS e contra secundum suam huius pacti definitionem non poruit non, hoc pactum & ipsa sponsalia ab invicem non differre, defendere. Unde etiam pater, controversiam, WERNHERVM inter & THOMASTIVM, quorum ille causam suam egit in binis Dissertationibus de obligatione ex pacto sponsalitio, hic vero in Dissert. de pacto futurorum sponsaliorum & in libello, quem Anhang zu denen Thomasischen gemischten Handeln inscriptis, super obligatione ex hoc pacto ortam, in logomachiam abiit. Interim tamen Wernheriana huius pacti notio, utpote usui loquendi communis convenientior, Thomasiana preferenda omnino; quamvis, si dicendum quod res est, ipso hoc termino rato scire possemus, nisi semel JCTi eius usu amplius turbaverint satis iam turbatam de sponsalibus doctrinam.

§. XXII.

Sponsalia de futuro in eo differunt a pacto futurorum sponsaliorum quod pacto futurorum sponsaliorum celebrato ipsa sponsalia nondum inita, quod tamen jam factum, sponsalibus de futuro mitis. Qui futurorum sponsaliorum pactum merunt, quod sponsalia demum contrahere velint, promiserunt (§. 21), qui vero sponsalia de futuro celebrarunt, ab iis ipsa

ipsa sponsalia jam sunt contracta (§. 13); quod itaque dicto modo differant, manifestum est.

§. XXIII.

Pactum futurorum sponsaliorum & sponsalia de futuro quoad obligationem ad ineundum matrimonium non differunt. Cum obligatio quæ ex pacto futuro um sponsaliorum resul-
tat, sit hæc, quod illud ineuntes se obligent ad ineunda spon-
salia (§. 21) quique ad hoc obligati, eo ipso etiam obligari sint
ad ineundum matrimonium (§. 12), & hæc obligatio sit ea quæ
oritur ex sponsalibus de futuro (§. 13); pacta futurorum spon-
saliorum & sponsalia de futuro quoad obligationem ad ineun-
dum matrimonium non differunt.

§. XXIV.

*Sponsalia conditionata dicuntur, quæ adjecta conditio-
ne contracta; Pura vero, quæ sine adjecta condizione con-
tracta.*

§. XXV.

*Sponsalia de futuro sunt vel pura, vel conditionata; o-
mnia sponsalia de præsenti vero sunt pura.* Sponsalia de fu-
turo ita ineuntur, ut declaretur solus consensus sponsalitus
(§. 13), per quem mas & femina promittunt, se matrimoni-
um inire veile (§. 2.) Cum itaque hæc promissio vel ita fie-
ri possit, ut certa adjiciatur conditio, vel sine adjecta con-
ditio, & in priori casu sponsalia sint conditionata (§. 24),
in posteriori vero pura (§. 24); quod sponsalia de futuro
vel pura vel conditionata sint, in aprico jacet. *Quod erat
unum.*

At enimvero sponsalia de præsenti ita ineuntur, ut de-
claretur consensus matrimonialis (§. 14), per quem mas &
femina promittunt, se iam matrimonium actu inchoare vel-
le (§. 2.), cui promissio conditio adjici nequit, quoniam con-
ditio

ditio dicitur id, a quo aliquid suspenditur, declarans vero actu matrimonium esse inchoandum, & tamen adjicere ali- quid a quo suspenditur obligatio ineundi matrimonium, ma- nifesto implicat. Sunt itaque omnia sponsalia de præsenti, sponsalia pura (§ 24). Quod erat alterum:

Confirmat idem Pontifex, dum ait: *præterea bi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt &c. c. 2. X. de spons.* Loquitur hic de sponsalibus de futuro (§ 13.) & addit, sine conditione inita esse; unde patet etiam sub conditione iniri posse, sive vel pura vel condi- tionata esse posse (§. 24.).

§. XXVI.

Fluit hinc: *Divisionem in sponsalia de præsenti & fu- turo, & in sponsalia pura & conditionata toto cœlo differre;* & omnia sponsalia de futuro esse sponsalia conditionata, falsis- simum esse.

§. XXVII.

Sponsalia de præsenti & de futuro sunt duo species spon- salium in genere. Etenim sponsalia sunt pactum, quod de- clarando consensum sponsalitium initur (§ 12.). Enimvero ram in sponsalibus de præsenti (§. 15.) quam in sponsalibus de futuro (§ 13) consensus sponsalitius declaratus. Sunt itaque sponsalia genus (§ 45 Log.); quod, cum consensus sponsali- tius vel solus, vel una cum consensu matrimoniali declarari possit (§. 9.), hisque determinationibus duo generi superace- dent differentiae specificæ & in priori casu sponsalia sint spon- salia de præsenti (§ 14.) in posteriori vero sponsalia de futuro (§. 13.), sponsalia de præsenti & futuro tanquam species sub se continet.

C

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sunt itaque tam sponsalia de præsenti, quam sponsalia de futuro, vera sponsalia.

Communis est doctrina, de jure Canonico sponsalia de præsenti esse sponsalia impropria & sola sponsalia de futuro. Sponsalia proprie sic dicta, quam & ipsi Romanae ecclesie Doctores defendendunt, veluti CORVINVS in *Aphor. jur. Can. L.II. Tit. 12. §. 3. 4. ESPENIVS in jur. Eccl. P. II. L. 12. c. 1.* Contrarium evincitur in hac propositione, quæ tam sponsalia de præsenti, quam de futuro, vera, vel quod idem est, propria sponsalia esse docet. Deceperunt DD. textus, in quibus sponsalia de præsenti matrimonium appellantur. Quod vero non obstante hac denominatione sponsalia de præsenti proprie sic dicta sponsalia maneant, pater per ea, quæ supra jam (not. ad §. 20.) annotavimus.

§. XXIX.

Verbis præsentis temporis tam sponsalia de futuro quam de præsenti iniri possunt, nisi verba dirigantur in præsens matrimonium; si enim hoc sit sola sponsalia de præsenti verbis præsentis temporis iniri possunt: verbis futuri temporis vero sola sponsalia de futuro iniri possunt. Tam consensus sponsalitius, quam consensus matrimonialis verbis præsentis temporis declarari potest (§. 5.). Enimvero declarato consensus sponsalitio sponsalia de futuro, (§. 13.) declarato vero consensus matrimoniali sponsalia de præsenti (§. 14.) celebrata sunt. Tam sponsalia de futuro itaque, quam sponsalia de præsenti, verbis præsentis temporis iniri possunt, nisi verba præsentis temporis dirigantur in præsens matrimonium; si enim hoc sit, sola sponsalia de præsenti verbis præsentis temporis iniri possunt. Quotiescumque enim verba præsentis temporis adhibentur, illaque diriguntur in præsens matrimonium, non consensus sponsalitius sed matrimonialis declarata.

claratus (§. 6.). Declarato vero consensu matrimoniali, adfunt sponsalia de præsenti (§. 14.). *Quod erat unum.*

At enim vero solus consensus sponsalitius verbis futuri temporis declarari potest (§. 5.). Declarato autem consensu sponsalitio sponsalia de futuro celebrata sunt (§. 13.). Verbis futuri temporis itaque non nisi sponsalia de futuro iniri possunt. *Quod erat alterum.*

§. XXX.

Hinc, cum verba præsentis temporis non simpliciter, sed tum demum, si in præsens matrimonium dirigantur, sponsalia de præsenti faciant (§. 29.), non verba præsentis temporis, sed sensum verborum facere sponsalia de præsenti, statim patet.

§. XXXI.

Cumque tam sponsalia de præsenti, quam sponsalia de futuro verbis præsentis temporis iniri possint (§. 29.); an sponsalia de futuro, an vero sponsalia de præsenti celebrata sunt, ex nudis verborum formulis dijudicari nequit.

Sic enim si quis e. g. hac loquendi formula uteretur: *Fidem tibi do de futuro matrimonio*, & dijudicaturus an sponsalia de præsenti, an vero de futuro inita, nude formulis verborum inhereret, sponsalia de præsenti celebrata esse pronuntiat. Hoc vero oppido falsum esse, quilibet qui sensum horum verborum respicit, statim videt.

§. XXXII.

Cum vero si verba præsentis temporis adhibita, & illa in specie in præsens matrimonium directa, non nisi sponsalia de præsenti verbis præsentis temporis, in genere vero verbis futuri temporis non nisi sponsalia de futuro iniri possunt (§. 29.); ex verbis præsentis temporis si in præsens matrimonium

monium directa, colligi potest sponsalia de praesenti; simpliciter vero ex verbis futuri temporis, sponsalia de futuro celebrata esse.

Recte proin STRYKIVS de *Dissens. sponsal. Seet. I. §. 20.* moneret, hic omnino distingendum esse, inter consensum praesentem in nuptias, & consensum presentem in sponsalia. Unde eleganter paulo post ita concludit: *Quotiescumque ergo verba (nimirum presenti temporis) nou diriguntur in praesens matrimonium, toties non adhuc sponsalia de praesenti.*

§. XXXIII.

Formula, ego te in meam accipio, & ego te in meum accipio (subintellige uxorem & maritum) qualis occurrit c. 31. X. de spons. &c. 3. X. de sponsa duorum; ut & haec: duco te in uxorem, duco te in maritum, sponsalia, de praesenti: formula vero ducam te in uxorem, & ducam te in maritum, sponsalia de futuro celebrata esse indicat. In formulis prioribus enim adhibita sunt verba praesentis temporis, illaque in praesens matrimonium sunt directa; in posterioribus vero adhibita sunt verba futuri temporis. Iam vero ex verbis praesentis temporis, si in praesens matrimonium directa, colligi potest sponsalia de praesenti, simpliciter vero ex verbis futuri temporis sponsalia de futuro, celebrata esse (§. 32); formulæ itaque priores sponsalia de praesenti, posteriores vero sponsalia de futuro celebrata esse, indicant.

§. XXXIV.

Sponsalia de praesenti sine verbis contrabi possunt, modo adhuc facta, ex quibus declaratio consensus matrimonialis colligi possit. Etenim ipsa verba non efficiunt, sponsalia esse sponsalia de praesenti, sed potius omnia eo redeunt, secundum verborum sensum per illa consensum matrimoniale declarata.

declarari (§. 30). Ast declaratio hujus consensus non verbis solum, sed etiam factis, ex quibus talis consensus colligi potest, fieri potest, quale factum concubitum anticipatum esse supra vidimus (§. 10. 11); hinc & sine verbis sponsalia de praesenti contrahiri possunt, modo ad sint facta, ex quibus declaratio consensus matrimonialis colligi possit.

§. XXXV.

Sed istiusmodi facti, ex quo consensum matrimoniale declaratum esse colligi potest, veluti concubitus anticipati, (§. 11.) etiam mutus auctor esse potest; binc mutus sponsalia de praesenti inire potest.

Et ita responderet Pontifex c. 23. X. de sponsal. addens hanc rationem: *cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Comprobatur idem per c. 21. loc. cit. in quo solo consensu legitimo contrahi matrimonium adfirmatur, & exemplo muti illustratur. En tibi verba: *Postulasti, utrum ex solidis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur.* Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad ecclesiam verba consensum experientia de praesenti: Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis. Non quidem defendo, allegata capitula de sponsalibus de praesenti loqui; sed potius concedo, in illis tantum in genere, matrimonium sine verbis contrahi posse, nec mutum a matrimonio repellendum, disponi: sed quis non viderit inde fluere, non solum in genere sine verbis sponsalia de praesenti iniri posse, verum etiam in specie mutum talia inire posse: sieque tam hanc, quam precedentem propositionem allegata capitula corroborare. Ut enim matrimonium contrahi possit, necesse est, declarari consensum matrimoniale. Si itaque matrimonium in genere sine verbis & in specie a muto contrahi potest, etiam consensum matrimoniale sine verbis, & in specie a muto decla-

rari posse, necesse est. Declaratio hujus consensus vero facit sponsalia de praesenti (§ 19.). Cæterum, quod etiam sponsalia de futuro sine verbis, indeque etiam a muto contrahi possint, nulla indiget probatione, postquam de sponsalibus de praesenti hoc jam demonstravimus.

§. XXXVI.

Pontificios in discernendis sponsalibus de praesenti & futuro nudis verborum formulis inhæsisse, falsum est. Admiserunt sponsalia de praesenti sine verbis (§ 34.) immo a muto (§. 35.) iniri posse; id quod etiam valet de sponsalibus de futuro (not. ad §. 35.). Falsum itaque est, Pontificios in discernendis sponsalibus de praesenti & futuro nudis verborum formulis inhæsisse.

Præter meritum nostrates Pontificis hanc absurdam sententiam imputant, uti jam docuit, *Perillustr. BOEHMERVS in J. E. P. Lib. IV. T. 1. §. XII.* Auttor hujus false imputationis est LUTHERVS in libello von Ehe-Sachen, quem sequuti sunt Icti. Hoc quidem negari nequit, Pontificios certas formulas adhibuisse, quarum supra jam mentionem injecimus (§. 33.); inde vero nondum fluit, simpliciter his verborum formulis inhæsisse, ita, ut quotiescumque verba praesenti temporis adhibita, sponsalia de presenti celebrata esse judicaverint. Ut enim taceam, formulas illas exempli tantum causia adductas, ille tales sunt, quarum sensus, sponsalia de presenti, vel etiam de futuro celebrata esse, docet. Ast, quid multis. Sufficit ipsos Pontifices expresse declarasse ad sensum potius verborum, quam ipsa verba respiciendum esse. Evolvatur e. pen. X. de spon. ubi Pontifex, postquam formulam: ego te in meum accipio & ego te accipio in meum, tanquam consensum de praesenti declarantem adduxit, expresse addit: vel alia verba consensum exprimentia de praesenti.

§. XXXVII.

Secundum dogmata Pontificiorum matrimonium est sacramen-

eramentum, unionem Christi cum ecclesia indissolubilem repræsentans. Forma hujus sacramenti vero consistit in verbis, vel signis consensum matrimonialem exprimentibus, teste COVARUVIA de Matrimonio P. 2. C. I. §. 8. SANCHEZ. de Matrim. L. 2. Disp. 5. n. 6. BELLARM. de Matrim. sacrament. L. 1. Cap. 6. verf. Forma autem.

Hoc dogma theologiae pontificiae hic tanquam hypothesis sive ulla probatione adsumitur: sive enim verum, sive falsum sit, JCto perinde est. Vtimur nimur istiusmodi propositiōnibus, ut placita juris Canonici, quæ a principiis theologiae pontificiae dependent, distincte explicare & ad ista principia revocare possimus. Hæc revocatio vero necessaria, ut non solum verum intellectum Juris Canonici eruere, sed etiam Juris prudentiam Ecclesiasticam papizantem ab hoc malo liberare possumus. Cum autem hæc revocatio cum fieri debeat, quando Jurisprudentia Ecclesiastica methodo scientifica pertractanda, insignis hujus methodi etiam in hac Jurisprudentiæ parte usus patet. Quamvis vero forma hujus sacramenti, quod per matrimonium contrahitur, consistat in declaratione consensus matrimonialis; ipsius sacramenti perfectio tamen queritur in commixtione corporum c. 16. 17. C. 27. Qu. 2., c. 5. X. de bigamus non ord.

§. XXXVIII.

Sponsalia de præsenti jam sunt sacramentum; non vero sponsalia de futuro. Initis sponsalibus de præsenti jam declaratus est consensus matrimonialis (§. 14.) non vero initis sponsalibus de futuro (§. 19.) At enim vero verba, vel signa consentium matrimonialem exprimentia continent formam sacramenti matrimonii (§. 37.); sponsalia de præsenti itaque jam sunt sacramentum, non vero sponsalia de futuro.

Prout vero matrimonium declarato consensu matrimoniali nondum consummatum, sed demum per reliquos actus consum.

summandum (§. 7 8.); ita etiam sacramentum initis sponsaliis de præsenti nondum est consummatum, sed demum per copulam carnalem consummandum. (not. ad §. 37.).

§. XXXIX.

Divisio sponsalium in sponsalia de præsenti & sponsalia de futuro non solum realis est; verum etiam non sine ratione sufficiente a Pontificiis formatæ. Etenim sponsalia de præsenti & futuro sunt species sponsaliorum in genere (§. 27.). Divisio nem vero per quam genus in suas species dividitur, realem esse, nemo negabit. Est itaque hæc divisio realis. Quod erat unum.

Sed & hæc divisio talis est, ut membris divisionis competant diversa prædicata, prout jam ex eo patet, quoniam sponsalia de præsenti jam sunt sacramentum, non vero sponsalia de futuro (§. 38.), & præterea cum realis sit (per dem. n. i.) vera inter membra divisionis est differentia. His positis vero divisionem formari principia logica jubent; divisionem sponsalium in sponsalia de præsenti & futuro itaque non sine ratione sufficiente a Pontificiis formatam esse, abunde patet. *Quod erat alterum.*

Prout vero ipsa hæc divisio non sine ratione sufficiente formatæ; ita nec sine ratione egerunt, qui potius sponsalia de præsenti quam de futuro celebrarunt. Sponsalia de præsenti enim arctius obligabant, quam sponsalia de futuro. Hinc pater pueræ, de quo loquitur c. 15. X. de sponsal. vicinum suum, quem in uno lecto cum filia sua inveniebat, cogebat, ut illam per verba de præsenti desponsaret.

§. XL.

Sponsalia de futuro per concubitum transeunt in sponsalia de præsenti. Si enim sponsalibus de futuro accedit concubitus.

cubitus, personæ quæ sibi invicem declararunt consensum sponsalium concubitum anticipant (§. 13.). At enim vero quando istiusmodi personæ concubitum anticipant, ipso hoc facto consensum matrimoniale declarant (§. 11.) & declarato consensu matrimoniali adfunt sponsalia de præsenti (§. 14.); sponsalia de futuro itaque per concubitum transeunt in sponsalia de præsenti.

§. XLI.

*Notiones sponsalium de præsenti & de futuro §. 13. & 14.
exhibitæ sunt genuinæ.*

c. 2. X. de spons.

Præterea hi qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere nolunt: ne forte deterius inde contingat, ut tales scilicet ducat, quam odio habet: videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.

c. 9. X. de spons.

Ex parte mulieris nobis intimatum est, quod Andreas juramentum præstiterit, quod eam ab eo tempore pro conjugi haberet, & ei sicut uxori sue fidem servaret. Ipsa quoque eidem Andreæ juravit, se illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam viro proprio servaturam: quo facto prænominatus A. reliquit eandem &c.

c. 31. X. de spons.

*Si inter virum & mulierem legitimus consensus interver-
D niat*

niat de præsenti, ita, quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis espresso recipiat utroque dicente: Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum: vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, sive sit juramentum interpositum, sive non, licet alteri ad alia vota transire: quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum (etiam si sit copula carnalis subsequuta) separari debet, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro utroque alteri: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, si & verba similia: si aliis mulierem illam per verba de præsenti despousaverit, etiam si inter ipsam & primum juramentum intervenerit, sicuti diximus, de futuro, hujusmodi despousationis intuitu secundum matrimonium non potuit separari, sed eis est de violatione fidè penitentia injungenda.

In hoc ultimo textu duplex despousatio sibi invicem opponitur, ea nimirum, quæ ita inita, ut inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, & ea, cui accessit tantummodo promissio de futuro. Consensus de præsenti & de futuro differentia itidem in hoc textu dilucide fatis per exempla adjecta declarata. Consensum de præsenti enim intervenisse, dicitur, si se recipiunt utroque dicente; Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum; consensus de futuro vero utroque alteri: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum. Quodsi iam reflectis ad differentiam hujus diversi consensus his diversis verbis declarati, hancque distincta & determinata notione comprehendere vis, in eo obviam esse deprehendes, quod, qui dicunt, ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, declarant consensum quod actu matrimonium inchoare velint; quodque, qui dicunt, ego te recipiam in meam, & ego te

te in meum, non nisi consensum, quod matrimonium inire velint, declarant. Et hanc differentiam veram differentiam esse, corroboratur per duos priores textus. In primo eorum enim consensus, qui consensus de futuro appellatur in hoc ultimo texu, describitur per consensum, quo fides de matrimonio contrahendo data; in secundo vero consensus, qui in hoc ultimo consensus de præsenti appellatur, describitur per consensum, quo mas declaravit, se fœminam a tempore declarati confensus pro conjuge tenere, & sicut uxori fidem servare velle, & fœmina se marem pro marito habituram, & fidem ei tanquam viro proprio servaturam. Cum itaque secundum hanc differentiam, quam ipsi textus juris Canonici insinuant, notiones sponsalium de præsenti & de futuro §. 13. & 14. exhibetæ sint formatæ, genuinæ sunt omnino.

§. XLII.

Dari bodie apud nos tam sponsalia de præsenti, quam sponsalia de futuro, non est impossibile. Si declararus est folius consensus sponsalitius, sponsalia de futuro (§. 13); si declaratus est consensus matrimonialis, sponsalia de præsenti (§. 14) sunt inita. Cum vero nullam involvat contradictionem apud nos, vel solam consensum sponsalitium declarando, vel consensum matrimoniale declarando, sponsalia initiari; dari apud nos tam sponsalia de præsenti, quam de futuro, non est impossibile.

§. XLIII.

Matrimonium apud nos consummari nequit, nisi initis antea sponsalibus de præsenti. Actus ad matrimonium consummandum necessarius est sacerdotalis copulatio (§. 8). Cum vero copulatio sacerdotalis sit actus, quo despontari

D 2

con-

sensum matrimonialem coram sacerdote adhibitis precibus & benedictione facta declarant, & consensus matrimonialis declaratio sponsalia de praesenti efficiat (§. 14.) ; matrimonium apud nos consummari nequit, nisi initis antea sponsalibus de praesenti.

Tantum itaque abest, ut apud nos non dentur sponsalia de praesenti in sensu juris Canonici, ut potius apud nos nullum matrimonium sine iis consummari possit. Hoc interim negari nequit, apud nos vix alia occurrere sponsalia de praesenti, quam illa, quae in ipso copulationis sacerdotalis actu ineuntur, quaque ex anticipato concubitu oriuntur. Ideo vero apud nos vix alia sponsalia de praesenti ineuntur, quoniam apud nos non fortius obligant, quam sponsalia de futuro, quod fecus erat apud Pontificios. (not. ad §. 39.)

§. XLIV.

Sponsalia de futuro etiam apud nos per concubitum anticipatum transeunt in sponsalia de praesenti. Dum principia ex quibus haec propositio (§. 40) demonstrata, etiam apud nos locum habeant, nec ipsa haec juris Canonici dispositio a nobis rejici potest. Sic itaque etiam apud nos per concubitum anticipatum transeunt sponsalia de futuro in sponsalia de praesenti.

Cave tamen existimes, ideo etiam ea, quae in jure Canonico de sponsalibus de futuro concubitu confirmatis predicanturn, in foris nostris ad istiusmodi sponsalia applicari posse. Manifesto falsa enim est, si quid video, argumentatio: apud nos sponsalia de futuro per concubitum confirmata transeunt in sponsalia de praesenti, ergo decisiones juris Canonici sponsalia de praesenti tangentes in hoc casu in foris nostris applicari possunt. Rectius forsan ita argumentari possem: si sponsalia nostra, quamvis sint sponsalia de praesenti, tamen ideo

de

de matrimonii sacramento non participant, de quo tamen secundum principia Pontificiorum participant (§. 38.), & decisiones juris Canonici sponsalia de præsenti tangentes, ab illo principio, quod sint sacramentum, dependent; in nullo casu ad nostra sponsalia, quamvis etiam sint sponsalia de præsenti, decisiones juris Canonici sponsalia de præsenti tangentes, adplicari possunt, hincque nec in eo si sponsalia concubitu confirmata. Sed manu de tabula. Non enim in præsenti de usu doctrinæ juris Canonici de sponsalibus de præsenti & de futuro agendum.

§. XLV.

Nostra sponsalia pura non sunt sponsalia de præsenti in sensu juris Canonici; prout nec tractatus sponsalitii, nec pacta futurorum sponsalium apud nos sponsalia de futuro in sensu juris Canonici sunt. Cum apud nos sponsalia pura, tractatus sponsalitii, pacta futurorum sponsalium, notiones ab iis, quæ supra (§. 18. 21. 24.) exhibuimus, diversas non admittant, secundum illas notiones vero demonstratum, omnino sponsalia pura & sponsalia de præsenti differre (§. 26.), ut & sponsalia de futuro a pactis futurorum sponsalium & tractatibus sponsalitiis differre (§. 19. 22.); nostra sponsalia pura non sunt sponsalia de præsenti in sensu juris Canonici, prout nec tractatus sponsalitii, nec pacta futurorum sponsalium apud nos sponsalia de futuro in sensu juris Canonici sunt.

Sufficient haec de genuina sponsalium de præsenti & de futuro notione. Possemus jam his principiis jaetis ulterius progressi, & ipsam doctrinam juris Canonici de sponsalibus de præsenti & de futuro ex his principiis faciliter negotio methodo scientiis propria deducere, quo factò & de praxi hujus doctrinæ in foris nostris, quæ haud raro incongrua satis, agendum


D 3

effet.

esser. Sed ne limites, quos mihi posui, ipse transiliam, hie subfisto, & tantum, ut tamen constet, quæ sit mea de usu hujus doctrinæ in foris nostris sententia, illam determinatæ propositioni inclusam absque demonstratione, quæ ob defec-tum principiorum hic dari nequit, corollarii instar addo. Quæ in jure Canonico de sponsalibus de præsenti prædicantur, nullo casu ad nostra sponsalia applicari possunt, etiæ etiam sint concubitu confirmata: quæ vero in jure Canonico de sponsalibus de futuro in genere prædicantur, ad nostra spon-salia sive sint pura, sive conditionata, immo etiam ad pacta futurorum sponsaliorum, non vero ad tractatus sponsalios applicari possunt; ast quæ de sponsalibus de futuro sub illa hypothesi, si concubitu confirmata, in jure Canonico prædicantur, ad nostra sponsalia appli-carri nequeunt.



PRÆ.



31


PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Non quia mos est, sed ex intimo animi affectu, calamum iam arripi, ut T E cathedram adscendentem votiva adclamatione concomitem. Varia sunt quæ hunc excitant affectum, meum in T E amorem provocant, & amicitiam nostram reddunt arctissimam. Morum TVORVM suavitas, doctrinæ solidæ qua animus TVVS imbutus copia, quemlibet TIBI amicum reddunt; in me vero his accedit, patria communis. Sed non patria communis solum, verum etiam illustris Viri de patria mea egregie meriti, quem nascendi sors Patrem dedit TIBI, singularis in me favor, quo me indignum, dignum judicavit, dum adhuc in patria hærerem, præsentem, quoque adhuc, diu licet absens fuerim, fruor, in me speciatim mei, in T E Tanti Viri filium, amoris gradum auger in tantum, in quantum potest augeri. Quæ cum ita sint, singularem voluptatem in me excitavit, quod me elegeris socium in defensione speciminis eruditio[n]is quod iam edis, in quo rem arduam es aggressus, dum de invenienda genuina sponsalium de præsenti & de futuro notione fuisti sollicitus. Quod in inveniendo fueris felix, dum inven-

tæ



tæ notiones menti Canonistarum sunt conformes, ego
 non dubito, nec dubitabunt qui præjudicis non occa-
 cati. Sed & non dubito, si vis ut canem ut vates, fore
 plerosque, qui vix duabus huius speciminis TVÆ eru-
 ditionis perfectis lineolis, attrahent supercilia, corru-
 gabunt frontem, vellent barbam. Scis enim metho-
 dum qua usus es, non esse ad omnium palatum, & no-
 vas veritates esse plerisque invisas. Sed TV, DOCTIS-
 SIME DOMINE RESPONDENS, non cura judicia eo-
 rum, qui in hac causa sunt judges incompetentes, &
 quorum judicio si standum, maneret certe semper Ju-
 risprudentia in statu, in quo nunc est, miserrimo.
 Colloca potius ulterius operam & industriam, in eru-
 endis genuinis terminorum juridicorum notionibus,
 ut cum multa, prout jam CICERO agnovit, præclare
 quidem legibus constituta, sed ea pleraque hodie Ju-
 ris Consultorum ingenii depravata, quæ depravata
 sunt integrati suæ restituantur. Vale & fave mihi,
 quem ad omnia officiorum genera habebis semper
 promptum paratissimumque. Dabam in Frideri-
 ciana d. I. Aprilis clo lcccxxxxv.





ULB Halle
002 729 369

3



Sb





23
42
1745.10.6

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
GENVINA
SPONSALIVM DE PRAESENTI
ET
DE FVTVRQ NOTIONE

QVAM
PRAESIDE
D. DANIELE NETTELBLADT
AD DIEM III. APRIL. MDCCXLV.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
RVDOLPHVS IOANN. WILHELMVS THYM
L. L. CVLT.



HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.
RECVSA MDCCXLX.

(4)

